

non potest anticipari, sed ipso proprio respective die rogationum observari debet.

3) Oblig. paroch. interessendi.

*Ad dubium*: An Collegium parochorum Faventiae teneatur interesse processioni, quae fit in festo s. Marci cum Capitulo et toto Clero?

S. C. C. resp.: Affirmative et ampl. Die 7. Junii 1760 ad XI.

Vd.: *Processio publ. etc.* (oblig. interess.); *s. Marcus*; *Litaniae majores*; *Vigil. Ascens. D.*; *de commemoratione feriarum rogationum*, vd.: *Feriae maj.* (commemor. decr. n. 4175.)

S. ROMUALDUS.

*Clemens PP. VIII.*

Nos s. Romualdi Abb. nomen et diem festum in Calendario rom. die 7. Febr., quo die ejus translatio facta est, adscribendum ejusque Officium a quibuscunque personis Eccles. saec. et reg. ubique terrarum existentibus sub Ritu dupl. de comm. c. non p., ubi proprium deest, praeter II. 2. n., quae propriae assignantur a S. R. C. approbatae, celebrandum esse tenore praesentium perpetuo decernimus et statuimus.

Quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae 9. Julii 1595.

(Bull. rom. t. III. p. 51.)

Congr. Camaldulensium Pedemontis.

Concessa a S. R. C. sub diebus 29. Aug. 1674 et 22. Jan. 1678 pro tota Congregatione monachorum Camaldulensium facultate qualibet fer. 3. non impedita, exceptis Quadragesimae, Adventus et vigiliarum temporibus, recitandi Officium et respective celebrandi Missam s. Romualdi: Monachi Congregationis praedictae Pedemontis

humiliter eidem S. R. C. supplicaverunt declarari: An valeat recitari Officium s. Romualdi praedicti in dicta tertia feria, licet non impedita, in eadem occurrentibus aliis Officiis duplicibus et semiduplicibus translatis?

Et S. eadem R. C. respondit: „Affirmative.“

n. 3557 die 8. Maii 1700.

In tota Congr. Camaldul. celebrentur duae festivitates S. P. Romualdi, nempe translationis sui Corp. 7. Febr. et Dormitionis in Domino 19. Junii; dubitatur: an sub praecepto teneantur PP. colere utrumque festum, atque si ad unum tantum extendatur haec obligatio, quale illud debeat esse, Translationis aut Dormitionis, qualeve celebrandum cum octava?

S. C. resp.: Festum s. Romualdi esse in die Dormitionis in Domino et hoc tantum celebrandum esse cum octava. n. 4136 ad 6 die 19. Jan. 1743.

RORATE.

Vd.: *Missae vot. de B. V. M. in Adventu*; *Expos. SSmi in Rorate.*

ROSA AUREA.

1) Benedictionis antiquitas et sensus mysticus.

*Benedictus PP. XIV.*

Quarta vertentis Quadragesimae Dominica, quae nuper praecessit, quaque festivus Introitus: *Laetare Hierusalem* ab Ecclesia Sancta cantatur, Nos ex Praedecessorum nostrorum more et instituto solemnem rosae aureae benedictionem in aula paramentorum nuncupata confecimus; quam quidem sacram ritus celebritatem in Ecclesia sancte Crucis in Hierusalem peragere Summis olim Pontificibus in more positum fuisse, ab Abbate Befuzio in

ejusdem *Basilicae historia cap. 20.* demonstratur: sed quum hujusmodi Caeremoniae in eadem Ecclesia habendae consuetudo per illud temporis spatium, quo Romani Pontifices Avenione Sedem habuerunt, intermissa fuisset, ex eo factum esse idem auctor subjungit, ut, postquam Romam remigrarunt, eum Pontifices morem retinuerint, ut eandem benedictionem in aula paramentorum conficerent, non secus ac olim, quum Avenione essent, facere eisdem solemne fuerat.

Et Nos igitur sacram hanc Caeremoniam in memorata paramentorum aula peregrimus; consuetae nimirum preces a Nobis recitatae fuerunt, tum rosa aurea balsamo inuncta, contrito odorifero musco perfusa, thure adolita et aqua benedicta a Nobis aspersa fuit; quae omnia in libro Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae praescribuntur, cujus libri auctor Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus vulgo reputatur. Hoc solum discrimen in ea, quae a Nobis peracta est, Caeremonia intercessit, quod, cum in memorato libro habeatur, Pontificem a paramentorum aula ad capellam procedentem sinistra manu rosam gestare, altera vero populo benedicere: *Manu sinistra rosam gestans et dextera benedicens progreditur ad capellam*: Nos ab aula quidem in capellam processimus, sacris Missae solemnibus interfuimus et, ut super altari rosa collocaretur, effecimus; at vero dum iter ad capellam habuimus, minime illud servavimus, ut rosam sinistra manu gestarem, dextera vero benediceremus, sed eandem rosam uni ex Clericis camerae apostolicae, qui praebant, gestandam commisimus, quoniam, cum ab aliquo tempore mos invaluerit, ut rosa aurea post benedictionem super nobili ac magnifici basi constituatur, neminem, viribus

quantumvis firmis, reperire est, qui sinistra manu valeat eandem gestare ac dextera benedicere, cum ad ipsam sustinendam ambarum manuum auxilio opus sit.

In eodem praeterea Caeremoniarum Ecclesiae Romanae libro, qui supra citatus est, subjungitur, rosam auream interdum a Pontifice praesenti cuiquam principi viro dono dari, interdum autem ad absentem transmitti. Cum noster Pontifex Alexander V. anno 1410 Bononia transiret, ubi diem etiam supremum obiit, rosae aureae benedictionem in Ecclesia s. Petronii peregit eamque Marchioni Nicolao Estensi, qui praesens ibidem aderat, dono dedit quemadmodum Sigonius in *suo de Episcopis Bononiensibus libro*, Masinus in *Bononia perlustrata*, Alidosius in eo, quem conscripsit, libro *de Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis Bononiensibus* et Celsus Faleoni in *monumentis historicis Ecclesiae Bononiensis*, testantur.

Quo tempore Nos a felicis recordationis praedecessore nostro Clemente Papa XI. in advocatorum Sacri Consistorii Collegium adscripti fuimus, Carolus Chartarius, cujus nomen inter eruditos viros satis notum est, Collegii ejusdem Decanus erat. Inter varia autem, quae supersunt opera ab eodem Carolo conscripta, opus extat, quod *de rosa aurea* inscriptum est: in quo Caeremoniae hujus originem investigavit, iis tamen monumentis innixus, quorum id temporis notitia habebatur. Illud autem eo in opere praecipuum est, quod rite et exacte confectus catalogus ibidem habetur summorum principum, regum, reginarum atque illustrium tum virorum tum foeminarum ac postremo etiam Ecclesiarum, ad quas a SS. Pontificibus rosae aureae munus transmissum est. Inter alias vero Ecclesias, quibus praedictum donum impertitum esse memo-

ratur, Metropolitana nostra s. Petri Ecclesia descripta deprehenditur. Hoc autem munus a recolendae memoriae concive nostro Gregorio P. XIII. ad eandem Ecclesiam transmissum fuit; cujus rei gratia idem Pontifex praesulem Vincentium Bolognetum intimum cubicularium suum Bononiam ablegavit, qui rosae aureae munus eo tempore detulit atque exhibuit, quo bon. mem. Cardinalis Gabriel Palaeottus semper cum laude memorandus Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerebat. Haec autem rosa ea ipsa est, quae etiam hoc tempore quarta Dominica Quadragesimae in Metropolitanae illius Ecclesiae Ara principe exponitur, dum divinorum Officiorum ac Missarum solemnitas celebrantur. Quae autem per hujusmodi occasionem acta Bononiae sint, ea tum in *historia* Vizzanti in *monumentis historicis* Faleoni et Masini, in *Instructionibus*, quae Praesulo Bolognetto praescriptae fuerunt, ac postremo in *Allocutione*, quae hujus celebritatis occasione a Cardinali Gabriele Palaeotto habita fuit, videre est; quae monumenta a Chartario collecta et in *memorato suo opere* p. 116 et seq. edita sunt.

Et Nos igitur, quamvis egregio civi nostro Gregorio Papae XIII. dignitate quidem pares atque meritis inferiores Nos esse ingenue agnoscamus, illius tam exemplo, ad alia amoris ac devotionis nostrae argumenta, quae erga Metropolitanam Ecclesiam Nostram ac dilectam patriam hucusque exhibuimus, rosae etiam munus adjungere decrevimus. Quapropter rosam auream, quae, ut supra diximus, proxime elapsa Dominica quarta Quadragesimae a Nobis benedicta fuit, Metropolitanae Ecclesiae Nostrae dono transmittimus ad eamque deferendam dilectum filium Paulum Zani nobilem concivem atque intimum cubicularium Nostrum deligimus. Pro his autem, quae hac occasione agenda

erunt, consuetae eidem instructiones praescribentur. Cum vero Nos Bononiae Archiepiscopatum adhuc retineamus resque nostras videamus in eo statu positas, ut (quod grave admodum Nobis est) Ecclesiam ac patriam nostram amplius jam invisendi spes Nobis sublata sit, ea hic indicare supervacuum existimamus, quae hujusmodi occasione per Nos facta fuissent, si Nobis istae eidem Archiepiscopi munus gerentibus, rosae aureae munus a Pontifice Bononiam transmissum fuisset.

Neque illud etiam a Nobis postulatur, ut ea omnia fiant, quae Gregorii XIII. tempore facta fuerunt, cum praetertorum ac praesentium temporum conditio diversa sit neque cum eo, qui tunc erat, hodiernus rerum status conferri possit. Quod igitur satis esse ducimus, adeo ut amplius eo quidquam fieri neque exoptemus neque probaturi simus, illud est: primum, ut hujusmodi celebritas festo die s. Petri Apostoli, qui Metropolitanae Ecclesiae Nostrae Titularis est, peragatur, quo die intervenientibus Urbis magistratibus solemnem capellam haberi in more positum est; praeterea, ut rosa aurea a Nobis dono Missa quotannis Dominica quarta Quadragesimae, quo tempore divinorum Officiorum ac Missarum solemnitas peraguntur, in Ara Ecclesiae maxima exponatur una cum ea, quae a Pontifice Gregorio XIII. donata fuit, dummodo tamen rosae illius status talis sit, ut exponi possit; nisi enim memoria Nos fallit, aurea Gregorii rosa minus bene se habere Nobis videtur; quod si ita foret, illud opportune faciendum existimarem, quod in Sanctuario Lauretano aliisque Ecclesiis fieri consuevit. Theophilus Raynaudus *tom. 10. suorum operum in tractatu de rosa Mediana a Pontifice consecrata ad pag. 411* Ecclesiarum Elenchum contextit, ad quas a SS. Pontificibus rosae aureae munus transmissum fuit; ille

autem, qui apud Chartarium habetur, magis exacte confectus est; cum hic apostolici tabularii arcis s. angeli, cujus praefecturam gerebat, monumenta in promptu habuerit, Vaticana Basilica, cujus inter Canonicos Nos olim fuisse gloriamur, a quinque Summis Pontificibus rosae aureae munere donata fuit. Idem autem munus Basilica Lateranensis bis a duobus videlicet SS. Pontificibus obtinuit: ita pariter in Sanctuario Lauretano duorum item Pontificum, Gregorii XIII. et Clementis VIII. dono impertitae geminae rosae rosae visuntur; harum tamen prima non amplius exponitur neque a loco, ubi sita est, removetur, ne forte, cum a vetustate male habeat, eandem conterere aut comminui contingat; qua etiam fortasse de causa in nuper memoratis Basilicis Dominica quarta Quadragesimae super altari unica tantum rosa, ea nempe, quae novissime donata fuit, exponitur.

In *Musaei Italici tomo secundo* a Mabillonio inserti reperiuntur romani Ordines, quos illi datum est in itinere, quod per Italiam habuit eoque potissimum tempore, quo Romae moratus fuit, virorum in sacris materiis peritorum ope, colligere. In undecimo autem Ordine, qui Benedicti Canonici s. Petri est quemque ante *annum 1143* conscriptum fuisse ex eo patet, quod Cardinali Guidoni de Castello ab auctore dedicatum fuit, qui Cardinalis praedicto anno Pontifex factus et Coelestini II. nomine appellatus fuit, atque in aliis Ordinibus subsequentibus, qui ad inferiora pertinent tempora, de rosa aurea mentio facta deprehenditur. Tam autem in illo, qui memorati Canonici romani opus est, quam in altero Cardinalis Jacobi Cajetani, qui Pontificis Bonifacii VIII. nepos fuit, atque etiam in alio Petri Amelii, qui Sacrista fuit Urbani V., illud fuisse moris adjungitur, ut Romanus Pontifex, rosae

aureae occasione de eadem aurea rosa sermonem haberet. Sane inter Magni Praedecessoris Nostri Innocentii III. opera sermo reperitur, quem ipse per hanc occasionem in Basilica s. Crucis in Hierusalem pronuntiavit. Nos quidem praeterita Dominica quarta Quadragesimae solemnem benedictionis rosae aureae Caeremoniam peregrimus, sed nullum eadem occasione sermonem habuimus, tum quia id a Praedecessoribus nostris his temporibus, quae Nobis proximiora sunt, minime factum fuisse novimus, tum quia in Sacrarum Caeremoniarum libro, qui Christophoro Marcello tribuitur et Leonis X. tempore conscriptus fuit, quo scilicet hodierno tempore utimur, de hujusmodi sermone nullum omnino adest verbum, ac demum quia Dominica quarta Quadragesimae non est ex eis festis diebus, in quibus Romanus Pontifex solemniter pontificali ritu celebrare solet; sine pontificali autem Missa ut plurimum minime locus sermoni est, quemadmodum in supracitato decimo quinto Ordine Romano Petri Amelii cap. 47. videre est: *Id certo nota, quod quando cumque Romanus Pontifex facit sermonem, debet etiam Missam celebrare.* Neque vero hujusmodi sermonem in hac, quam conscribimus, epistola habere Nobis in animo est; illud tantummodo propositum habemus, ut aliqua tum circa auctorem rosae tum circa ipsius significationem atque ejusdem etiam benedictionis auctorem leviter attingamus; quod quidem non solum praetermissi sermonis quodammodo locum tenere poterit, verum etiam aliquid valebit ad commendandam excellentiam istius muneris, quod Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae Nostrae transmittimus.

Ut autem illa praetermittamus, quae circa ejusdem antiquitatem dicenda minime deessent, sed, si hic afferentur, nostri temporis eruditio obsoleta

et supervacua jure videri possent, *Magnum Pontificem s. Leonem IX. hujusmodi rosae aureae anno Christi 1049 auctorem haberi dicemus.* Nobiles Pontificis hujus progenitores s. Crucis monasterium in ea regione, quae nunc Alsatia dicitur, fundaverant; cumque jus super eodem monasterio in personam ipsius Pontificis recidisset, placuit ipsi, exemptionem monasterio concedere illudque S. Sedi immediate subjicere, eidem vero onus imposuit, ut quotannis aliquot diebus ante Dominicam quartam Quadragesimae vel auream rosam vel duas auri uncias Pontifici mitteret; cujus quidem census solutio subsequentibus etiam temporibus adimpleta fuisse dignoscitur; siquidem relata habetur in libro censuum cencii camerarii, quod opus sub saeculi duodecimi finem conscriptum fuit atque a Muratorio in suo tomo 5. *antiquitatum Italicarum dissert. 69. p. 880.* etsi minus integre typis editum, cujus tamen integrum autographum in tabulario arcis s. Angeli asservatur, ejusdem vero exemplar exacte ac fideliter descriptum penes Nos habemus, quod a dilecto filio magistro Antonio Casalio camerae apostolicae praeside dono accepimus, quum is illius dominium adquisierit ex haereditate ac successione celebris atque eruditi viri quondam Joannis Baptistae Casalii gentilis sui.

Augustinus Calmet in *sua historia ecclesiastica et civili Lotharingiae tom. 1. lib. 19. p. 1040*, postquam de foundatione monasterii s. Crucis in Alsatia ac de tributo per S. Pontificem Leonem IX. eidem imposito ea omnia retulit, quae nuper exposita a Nobis sunt, ita subdit: *Talis est origo rosae aureae, quam etiam hodie Pontifex benedicit quarta Dominica Quadragesimae, quae dicitur Laetare et quam alicui ex principibus in amoris atque*

*aestimationis pignus dono mittit.* Nos vero, licet hujusce auctoris doctrinam et literarios labores probe compertos habeamus, minime tamen adduci possumus, ut praedictae illius opinioni subscribamus. Illud enim libenter admittimus, s. Leonem P. IX. monasterio s. Crucis praefatum tributum imposuisse, ex eoque probari, rosam auream illius aetate in usu fuisse; at ex eo nequaquam probari posse judicamus, eundem Pontificem ritus rosae aureae auctorem fuisse, quinimmo ex eo ipso arguimus hujusmodi ritum aliquanto prius institutum fuisse.

Porro idem Calmet *par. 2. sui tom. 1. nuper citati* ad asserendam veritatem rerum, quae ab ipso enarrantur, authentica affert testimonia, privilegium scilicet s. Leonis IX., cujus quidem ea, quae subjicimus verba, ad rem nostram vel maxime faciunt: *Pro donatione igitur libertatis istius, o Cruce, quod videlicet monasterium titulo s. Crucis insignatum esset, ipso sole nitidior cunctisque creatis pretiosior, Petro Apostolo ipso tuo monasterio concessa, pro salute animae meae meorumque parentum ibidem in Christo tuo Domino Nostro dormientium, penso annuatim constituto tempore nostrae Apostolicae Sedi ab Abbatisa ipsius loci solvendum, rosam videlicet auream penso duarum romanarum unciarum, aut factam, sicut fieri solet, aut tantumdem ad faciendam, tempore Quadragesimae mittendam, octavo die antequam a Nobis et Successoribus nostris consuete portari in quarta Dominica, praecedente videlicet die Dominico, cum cantatur Introitus: Oculi mei semper ad Dominum.*

Hic autem consideranda sunt tum verba illa: *Aut factam sicut fieri solet*, tum alia etiam, quae paulo post subsequuntur: *Consuete portari in quarta Dominica*; videndumque, an

ulla ratione fieri possit, ut ritus rosae aureae s. Leoni IX. tum quam primo auctori adscribatur. Sane quidem ex praedictis verbis arguitur, hujusmodi ritum praecedenti tempore introductum extitisse, s. vero Leonem illum fuisse ostenditur, qui onus impensae in auream rosam faciendae monasterio suo imposuit, verum nullatenus iisdem verbis probatur, eundem Pontificem ritus illius institutorem fuisse, quem admodum nuper dictum est. Etenim, si revera talis fuisset, aliquid amplius relatis verbis addidisset; causas nimirum exposuisset atque rationes, quibus ad eundem ritum constituendum inductus esset; diem vero, quo solemnitas ea Caeremonia quotannis peragenda foret, ibidem ipse designasset, non tamquam antea praestitutum posuisset, ut ab eo factum fuisse deprehenditur. Siquidem hujusmodi Caeremoniae diem pro jam pridem constituto habens hoc solum mandat, ut pensum a monasterio solvendum octo diebus ante Dominicam *Laetare* in Urbe sit, videlicet die Dominico, in quem cadit Introitus: *Oculi mei semper ad Dominum*, qui nempe Dominica tertia Quadragesimae in Missa legitur.

Nostras hujusmodi animadversiones cum Nos aliquibus egregiis academicis nostris, ex his, qui singulis fertis secundis coram Nobis convenire assolent et valde accurate de sacris rebus et antiquitatibus disserere, communicavimus, aequi bonique exceptae et approbatae (licet non ab omnibus) fuerunt. Quare cum aliquis ex ipsis in academico conventu *die 6. Maii 1748* habito multa cum eruditione, ut illius mos est, Patris Calmeti partes tuendas susceperit, illa quidem verba: *Rosam factam sicut fieri solet* ita interpretatus est, quasi non infectam sed elaboratam ac perfectam rosam designarent; aliis vero verbis: *Consuete portari in quarta Dominica,*

ea indicari censuit, quae Pontifex et per se ipsum facere constituisset et per successores suos fieri cuperet, quoniam ante praedicta verba alia haec habentur: *a Nobis et successoribus nostris*, adeo ut verus verborum sensus esse debeat ac sit, quod scilicet s. Leo onus illud Abbatisae imponeret, ut eadem sive rosam ex auro confectam et elaboratam sive duas auri uncias Romam mittere deberet, propterea, quod quarta Quadragesimae Dominica tum ipse rosam eandem manu gestare vellet, tum ita in posterum a successoribus suis fieri exoptaret; atque hinc recte concludi, Pontificem illum ritus hujusmodi auctorem fuisse.

Omnino negari nequit, interpretationem hanc et acutam et ingenio illius dignam esse, qui eam in medium produxit. Verum Nos minime adduci potuimus aut possumus, ut eandem admittamus, non inficiamur, per verba illa: *aut factam*, designari quidem rosam, quae elaborata et confecta sit; verum alia, quae subsequuntur, verba: *sicut fieri solet*, aliquid amplius innuunt, nimirum: quod rosa illa non confecta solum esse deberet verum ea forma et opere opificio elaborata, cujusmodi ad illud tempus rosae aureae perfectae fuerant. Nec diffitemur hanc Pontificis voluntatem fuisse, ut rosa sive a monasterio transmissa sive ex duabus auri unciis ab eodem solutis conflata, non minus a se quam a successoribus suis manu gestari deberet; verum cum ibidem vox *consuete* interponatur, quae non futurum sed praeteritum tantummodo tempus designandi vim habet, satis inde manifestum sit, Pontifici in animo fuisse hoc dicere idque revera dixisse, quod cum praedecessores sui Dominica quarta Quadragesimae rosam auream manu gestare consuevissent, ipse eam gestare decreverat, quae a suo monasterio in posterum transmittenda esset,

idemque per successores suos fieri statuebat.

Michael Leonicus, qui Pauli V. tempore insignis Pontificiae capellae Caeremoniarum magister fuit, ingentem manuscriptorum suorum copiam reliquit, quae partim in tabulario Arcis s. Angeli partim in Vaticani bibliotheca asservantur. Is autem in quodam ex huiusmodi anecdotis, quod a Carthario in suo opere jam allegato p. 10 refertur, postquam privilegii Leonis IX. superius citati mentionem fecit, ita subdit: *Huiusmodi monumentum sexcentorum annorum antiquitatem indicat, sed majorem etiam ex ipso arguere licet. Nullum hoc vetustius vidi. Pagius in Breviario romanorum Pontificum t. 2. in vita Urbani II. ad n. 56. ei opinioni adhaerere videbatur, ut Urbanum ipsum ritus hujusce auctorem faceret, qui anno 1088 Pontifex factus fuit; videbat enim in tomo 10. Spicilegii fragmentum Andegavensis historiae, in quo legitur, Pontificem hunc, cum Turonem venisset Dominica quarta Quadragesimae, rosam auream manu gestasse eamque Fulconi comiti Andegavensi dono dedisse; praeterea animadverterat, nullum a Martene in suo tractatu de divinis Officiis cap. 19. n. 17. pro rosa aurea vetustius praedicto Urbano II. monumentum afferri. Verum, cum aliqua facti Leonis IX. notitia ad eundem pervenisset, summa ingenuitate sententiam mutavit, quemadmodum in citata vita Urbani II. n. 56. deprehenditur: Si ergo haec admittatur narratio, hic ritus multo antiquior est, quam credideram sed tamen non multo ante s. Leonem IX. introductus. Inter doctos viros dilectus filius Joseph Catalanus Presbyter merito recensentus est. Is praeter alia volumina typis edita tomum unum super opere Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae, quod, ut supra diximus, Christophoro Marcello Archi-*

episcopo Corcyrensi tribuitur, non ita pridem vulgavit Nobisque inscripsit. Ibi autem *lib. 1. tit. 7. cap. 3. de benedictione rosae §. 1. n. 3. et seq.* sententiae illi adhaeret, quod rosae aureae ritus ante Pontificat. s. Leonis IX. institutus jam esset.

Quare, ut primum quaestionis caput, quod ad ritus hujusce auctorem attinet, concludamus, ritum ipsum valde vetustum quidem atque a multis ante saeculis introductum fuisse dicemus ac s. Leonem IX. de eodem tanquam de ritu pridem in moreposito mentionem facere, certam autem notitiam de vero ac praeciso institutionis illius tempore nequaquam haberi: at nullo pacto ferendam esse heterodoxi Philippi Mornay assertionem in suo mysterio iniquitatis ad p. 1006, ubi, dum Urbanum V. rosam auream Joannae Reginae Siciliae dono dedisse refert, eundem Urbanum ritus hujusce auctorem fuisse affirmat; etenim, etiamsi ex aequitate admittatur, Leonis IX. monumentum eidem ignotum fuisse, non excusandus tamen est, quod vel dissimulaverit vel ignoraverit, ante Urbanum V. rosam auream ab Eugenio III. ad Alphonsum Hispaniae Regem, ab Alexandro II. ad Francorum Regem dono Missam fuisse eundemque Pontificem, cum Venetiis esset, Reipublicae illius Ducem eodem munere decorasse; Innocentium pariter III. ante Urbani V. tempora bis super rosa aurea sermonem habuisse. Haec quidem facta extra omnem controversiae aleam sunt. Quapropter jure ac merito Hospinianus, licet heterodoxus, in suo opere de festis Mornay assertionem rejectit; eademque strenue impugnatur a Gretsero tom. 5. suorum operum lib. 2. de benedictionibus cap. 40. p. 269 et seq. et tom. 7. in examine Mysterii Plesseani ad cap. 60. p. 365.

Sequitur jam, ut de iis, quae ad ritus hujusce significationem pertinent, dicamus. Quia tamen ad id necesse

est, ut aliqua prius circa dominicam quartam Quadragesimae, in qua a rom. Pontifice rosae aureae benedictio peragitur, indicemus, de hac idcirco pauca praemittimus. Diem hanc dominicam laetitiae appellari atque esse, primum omnium sciendum est proindeque ea recurrente, in introitu missae leguntur illa verba Isaiae: *Laetare Hierusalem, et conventum facite omnes, qui diligitis eam; gaudete cum laetitia, qui in tristitia fuistis, ut exultetis et satiemini ab uberibus consolationis vestrae;* quibus verbis Israelitici populi laetitia designatur, qua tunc perfusus fuit, quum Dominus Deus diurnae illius captivitatis miseratione commotus eum a Babylonica servitute liberavit, quae etiam verba ad sanctae Ecclesiae et Christi Fidelium laetitiam exprimendam accommodatissima sunt, eo quod in praesentia non amplius sub Hebraeorum ac Gentilium persecutionibus gemat, ut primis temporibus miserrime opprimebatur, juxta id, quod a sacris expositoribus super eodem textu observatur. Evangelium autem, quod in missa ejusdem dominicae quartae legitur, laetitiae item plenum est, quum scilicet in eo prodigiosa panum ac piscium multiplicatio enarretur, quibus refectae ac saturatae sunt turbae, quae, ut Christum praedicantem audirent, trans mare Galilaeae in Tiberiade confluxerunt, quaeque tam magno prodigio commotae Christum sibi regem facere constituerant, quo factum est, ut is inde aufugeret ac sese absconderet. Jam vero quod in hujus diei solemnibus ministrantibus dalmaticis indutos conspicimus, ex iisdem etiam sacris vestibus, quae signa laetitiae sunt, Ecclesiae gaudium agnoscimus. Extat in tom. 24. bibliothecae maximae Patrum editionis Lugdunensis pag. 1405. sermo quidam num. XIV. notatus, cujus Petrus Blesensis auctor

esse existimatur, quique super hac dom. IV. Quadragesimae conscriptus est. In ipso autem mirari se indicat auctor, quid sibi velit insueta haec Ecclesiae laetitia, quum maxime dominica haec Quadragesimae sit aliamque diem dominicam, quae Passionis dicitur, proxime praecedat. Verum, quum is varias laetitiae hujusce causas assignet, quae maxime ad rem nostram facit, ea est, quae ab Innocentio III. affertur in eo sermone, de quo superius dictum fuit, ubi ait: idcirco voluisse Ecclesiam in quarta hac dominica Fideles ad spiritualem laetitiam excitare, ut eos in poenitentis ac jejuniis quadragesimalibus laborantes aliqua ratione sublevaret: *Ne ergo fidelis populus propter asperitatem quadragesimalis abstinentiae sub continuo labore deficeret, in hac mediana dominica quoddam recreationis solatium interponitur, ut anxietas temperata levius sufferatur. Hodiernum enim Officium totum est plenum laetitiae, totum exultatione refertum, totum gaudio cumulatum.* Haec eadem ratio tum a Durando in suo *Rationali divinorum Officiorum*, tam a Casali de veteribus Christianorum ritibus cap. 81., a Rocca in suo *Tractatu de rosa aurea*, ac demum a Quarto in *Tractatu de benedictionibus in particulari sect. 2.* fuse illustratur.

Cum tanta igitur hujusce diei spiritualis laetitia sit, pie ac sapienter a rom. Pontificibus excogitatum est, ut rosae aureae ritum introducerent, quam balsamo inungi et musco etiam adspersi mos est. Verba autem Orationis, quae a rom. Pontifice, dum rosam auream benedicit, recitantur, haec sunt: *Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hanc rosam odore visuque gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis laetitiae manibus gestamus, benedicere et sanctificare tua pietate digneris.* Et quidem